



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

141. An debitores, si non habeant spem, quod manendo in sæculo fiant
potentes ad solvendum, possint Religionem ingredi, non obstante Bulla
Sixti V. Et quid, quando quis breviter, v. g. duorum, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

fer toleratus, putat Sanchez *disputatione 15. sessione 7. numero 3.* subditos posse talem Prælato in vitare, eo modo, quo ante constitutionem Constantiensem, scilicet occultè, si excommunicatione est occulta, vel vitare publicè, si illa erit publica.

2. Et ita docet Gordonus *in summ. tom. 2. lib. 7. questione 10. capite 6. numero 84.* Vnde Villalobos *in summ. tom. 1. tractatu 17. difficult. 13. numero 21.* sic ait. [Ha se de advertit, que como el descomulgado està privado del vfo de la jurisdiccion espiritual, y la concession de la extrauag. Ad euitanda, no es precepto sino privilegio, si el subdito no quisiesse comunicari con el Prælato, que està descomulgado, sujetando se à el, no està obligado à hazerlo, aunque no estuiesse denunciado, porque este tal tiene vfo de jurisdiccion in fauor de los subditos, y no en grauamen suyo, como notò Suarez. Y lo mismo se ha de dizir, si el Obispo estuiesse descomulgado, y no fuesse denunciado por la misma razon.] Hæc ille. Vide etiam Philippum Fabrum *de censuris in 4. sentent. distinct. 2. 5. questione prima, disputatione quarta, capite septimo, numero 231.* Filiucium *tom. primo, tractatu decimo-tertio, capite sexto, numero 125.*

3. Non desinam tamen hic apponere verba Marcelli Megalij *in 3. part. lib. 2. cap. 5. quest. 4. numero 50.* vbi sic ait. Pone Prælatum non esse denunciatum, nec publicum Clerici percussorem, sed notorium in Monasterio illum esse innodatum maiori aliqua excommunicatione, quaritur, an teneantur Regulares illi obedire? & videtur respondendum negativè: nam cum sit ipse notoriè excommunicatus, in fauorem ipsius nulla requiritur denunciatio, ad hoc vt vitandus sit tanquam non toleratus, per dicta supra *in dicta questione secunda, ver. Item quoad vsum,* & posse tunc Regulares, si volunt illi parere, & cum illo tanquam cum Prælato communicare ob beneficium eis concessum à prædicta Extrauag. *ad euitanda.* Dico tamen nullo modo posse Regulares, nec subditos alios, quicumque illi sint, ab obedientia sui superioris se eximere, quamuis notorium sit excommunicationis censuram illum incurrisse, nisi prius per sententiam Iudicis declaratur, Superiorem illum in illud crimen incidisse, & hoc ex eo probatur, quod sicut quando aliquis ex legum dispositione est ipso facto bonus, & iuribus suis ob excommunicationem priuatus, & fisco bona & iura illius sunt applicata, executio de facto fieri non debet, nisi prius super crimine fuerit declaratum, vt probatur *ex cap. cum secundum leg. de heret. in 6.* Ita quando Superior est suo officio ob excommunicationem priuatus, non debent subditi de facto suo iure illum priuare, nisi prius super crimine declaratum fuerit, id est, nisi prius declaratum fuerit à Iudice auctoritatem habente Superiorem illum in illam excommunicationem incidisse.

Quamuis nõ
plenè sup.
hoc lege ta-
men in co 5.
tr 1 ex R 25
doctrinam
§. vit signan-
ter in hæc.

RESOL. CXXXIX.

An dubius, vtrum Parentum necessitas sit gravis, possit ingredi Religionem?

Idem dicendum est, quando vtrinque sint rationes ita probabiles, vt possit dici vtraque parti opinabilis. Ex p. 4. tr. 5. Res. 57.

§. I. **A**ffirmatiuè respondeo, quia cum dubium sit præceptum in eo casu, libertas filiorum ad ingrediendam Religionem possidet, sicuti absolute diximus, in dubio an sit in aliquo casu præceptum. Imò hoc erit etiam licitum, quando vtrinque sunt rationes ita probabiles, vt possit dici

vtraque pars opinabilis, & idè in tali casu potest filius sequi vtramvis partem, etiam minus probabilem, vt in aliis rebus opinabilibus licet. Et hæc opinio docet Sanchez *in summa, tom. primo, libro quarto, capite vigesimo, numero octauo,* cui ego addo Bartholomæum de Vecchis *in praxi Nouitiorum, disp. 2. dub. 8. num. 8.*

RESOL. CXL.

An ingressus Religionis liberet debitorem ab onere stinendi?

Et notatur, quod si post ingressum Religionis, hereditate, legato, vel donatione, &c. Religio alii quid acquiratur, tenetur Monasterium eius debita soluere?

Et an teneatur Religiosus ad laborandum in Monasterio pro soluendis debitis? Ex part. 3. tractatu 2. Resol. 4. 1.

§. I. **P**rima sententia affirmat: ita sentire videtur Divus Thomas *in 2. 2. questione vltima, articulo 6. ad 3.* Caietanus *ibid.* & sequitur Paludanus *in 4. dist. 38. questione 4. articulo 3. conclus. 3.* Angelus *ver. Religiosus, §. 16.* Syluester *ver. Religio, lib. 1. questione 4.* & Divus Antoninus *part. 2. tit. 1. capite secundo, Paragrapho primo:* quia liber homo non obligatur quoad personam suam, sed tantum quoad bona; ergo cedendo bonis, illam remanet persona.

2. Secunda opinio negat, & illam tuetur Medina *Codice de restitut. questione 3. caus. 8.* Nauarrus *comen. 1. de Regular. numero 8.* Valentia *tom. 3. disputat. 5. questione 6. punct. 7.* Molina *tom. 3. part. disputat. 757.* & alij, quia solutio debitorum est ius naturalis.

3. Sed mihi placet opinio, quam tenet Lopez *in instruct. part. 1. capite 29.* Azorius *tom. 1. libro 1. 2. capite 1. questione 5.* Lessius *libro 2. capite 16. dubio 8.* Sanchez *in summa, tom. 1. libro 4. capite 19. numero 8.* & alij. Idè dico, quòd si quis breui tempore in seculo manendo tantum lucratorum se existimet, vt debita sua, vel integrè, vel secundum magnam partem soluere possit, ad hoc obligatur, secus autem si longo tempore, tunc enim putato non esse adstrictum ad expectandum, sed potest statim ingredi Religionem: & tempus breue, quod expectandum sit in tali casu, puto cum Sanchez esse biennium.

4. Nota verò, quod si post ingressum Religionis hereditate, legato, donatione, &c. Religioso aliquid acquiratur, tenetur Monasterium illius debita soluere, non tamen tenetur Religiosus ad laborandum in Monasterio pro soluendis debitis, vt norant Sanchez *num. 4.* Paludanus, Angelus, & Syluester, quidquid in contrarium asserant Azorius, Molina, & alij.

RESOL. CXLI.

An debitores si non habeant spem quod manendo in seculo fiant potentes ad soluendum, possint Religionem ingredi, non obstante Bulla Sixti V.

Et quid quando quis breuiter, v. g. duorum, vel trium annorum, manendo in seculo habeat spem soluendi debita Creditoribus?

Et an in dicta constitutione non comprehendantur debitores ex sola promissione liberali, vel qui incerti debitis sunt grauati, vel damnati ad pecuniarum partem ratione alicuius delicti, vel ad satisfaciendam rationem alicuius

alicuius damni, vel iniuriæ illata, ut v.g. qui Virginitatem destituit, &c. Ex p. 4. tr. 4. & Milc. Ref. 82.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam de iure communi ego tenui in part. 3. tract. 2. * resol. 42. Sed difficultas est de iure nouo Sixti V. & negatiue videtur respondendum, per ea quæ obliuatur Malderus de iust. tr. 4. c. 7. dub. 4. in fin. & Syluius in 2. 2. q. 52. ar. 8. quest. 1. conel. 7. caus. 10.

2. Verum ego puto etiam in terminis Breuis Sixti V. debitores, si bona quæ habent creditoribus relinquunt, & nulla sit spes, vt in sæculo manendo fiant potentes ad soluendum, posse ingredi Religionem, & ita docet Faustus in thes. Relig. lib. 5. q. 134. n. 5. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 19. n. 26. Barthol. de Vecchis in praxi Nouitiorum disp. 2. dub. 13. n. 15. Portel in dub. Regul. ver. Nouitius, num. 19. Vide etiam David à Manden in Decal. præcept. 7. disp. 18. n. 17. Hieron. Rodriguez in compend. qq. regul. resol. 101. n. 10. Mitandam in manuali Pralat. tom. 1. q. 17. art. 7. & alios penes ipsos.

3. Imò aliqui plus addunt, Bullam Sixti V. non extendi ad eos, qui absque sua culpa peruenerunt ad impotentiam soluendi creditoribus, quod probant ex ipsis verbis Bullæ ibi, *multi decoctores post dilapidatam rem familiaris, &c.* & ita tenet Vecchius ubi supra, cui ego addo Bonacin. de restitut. disp. 1. quest. ult. parit. 2. §. 1. n. 8. licet ibi erret in nomine Pontificis, nam pro Sixto V. citat Pium V. & alios penes ipsum.

4. Notandum est etiam hic obiter in dicta constitutione Sixti V. non comprehendi debitores ex sola promissione liberali, vel qui incertis debitis sunt grauati. Ita Vecchius & Sanchez loc. cit. qui addit etiam sub hac Bulla neque comprehendi damnatum ad pecuniariam poenam ratione alicuius delicti, nec obligatum ad satisfactionem pecuniariam causa alicuius damni, vel iniuriæ illata: vt qui, v.g. Virginitatem destituit, licet in hoc differat Miranda ubi supra.

5. Non desinam etiam hic annotare quòd licet Doctores asserant, quòd quando quis breui tempore manendo in sæculo habeat pendo soluendi debita creditoribus, non potest ingredi Religionem, nam in tali casu moraliter non est impotens ad soluendum, licet, inquam hoc fit verum, tamen difficultas est quod tempus dicatur breue in hoc casu. Ponam opiniones Doctorum, omnes quidem probabiles. Lessius lib. 2. c. 4. dub. 3. n. 32. & Azorius p. 1. lib. 12. c. 1. q. 5. docent tunc dici breue tempus, quando debitor paucis annis satisfacturus creditur. Maior in 4. sent. dist. 38. q. 17. conel. 3. tempus 2. vel 3. annorum ponit. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 19. n. 8. duorum annorum. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7. num. 2. vnius anni.

RESOL. CXLII.

An mutus, & surdus, vel cæcus possint esse Religiosæ professionem emittendo?

Et quid si mutus esset simul cæcus, aut quis esset simul cæcus, & omnino surdus, quamuis non mutus, nec hæc à natura habeat, sed casu, & antequam in hæc incidere, nosset quid esset professio? Ex p. 5. tr. 6. Ref. 34.

§. 1. **A**d hunc casum affirmatiue respondet Sanchez in sum. tom. 2. lib. 5. cap. 3. n. 2. vbi sic ait. Professio expressa nullis verbis indiget, sed potest notibus aut scripto fieri quia nullibi reperitur verba esse necessaria. Quare mutus à natura, qui subinde surdus est, potest profiteri. Si enim est aptus ad carnale matrimonium inendum (vt probauimus lib. 1. de matr. disp. 8. num. 12.) erit quoque ad spirituale aptus, argument. ex cap. significatum, de regul. Præterea, quia non minor notitia obligationis, nec mi-

nor consensus desideratur in matrimonio carnali, quam in spirituali, & ita docent Socin. senior conf. 61. In presenti consultatione numero 13. & 14. volum. 1. Azor. lib. 12. instit. moral. cap. 4. quest. 1. sed sicut ea disp. 8. num. 12. animaduertimus circa matrimonium carnale, est hæc intelligendum, quando mutus ille ita perspicaci intellectu præditus est, vt signis edoceri valeat naturam status Religiosi, possitque signis consensum exprimere, quod esse difficillimum diximus ibi, cum auditu careat, quo hanc naturam doceri possit, quamuis sint aliqui ita perspicacis ingenij, vt signis eam percipere valeant. Quòd si mutus ille esset simul cæcus, aut quis esset simul cæcus, & omnino surdus, quamuis non mutus, nec hæc à natura habeat, sed casu, esset incapax profitendi, nisi antequam in hæc incidere, nosset quid esset professio. Sicut idem contra alios diximus in matrimonio carnali, ea disp. 8. n. 13. quia mutus solis signis edoceri valet professionis naturam, quæ percipere nequit, si simul cæcus sit. Atqui cæcus solis verbis potest edoceri, quæ nequit percipere, si simul sit surdus. Hucusque Sanchez, cui addo Spinum in speculo testam. gloss. 8. rubrica num. 4. vbi ita asserit. Secundò deducitur, quòd licet alius mutus & surdus non possint Religionem ingredi, nec profiteri, iuxta cap. sicut, de regular. cap. fin. de success. ab intestat. Si tamen probetur illum habere intellectum perfectum, & signis posse consensum explicare, poterit Religionem profiteri; tenet Albericus l. vbi non voce de reg. iur. Ita Spino. & tandem hanc sententiam docet Bartholom. de Vecchis in praxi Nouitior. disp. 13. dub. 2. n. 2. Azorius part. 1. lib. 12. c. 4. q. 1. cum aliis Iuriconsultis, quos citat, & sequitur Barbaria vol. 2. conf. 59. num. 12.

RESOL. CXLIII.

An serui possint ingredi Religionem sine licentia Domini? Et explanatur, quòd Concilium Chalcedonense excommunicationis gladio Prælaturam vulnerat, qui sine licentia Domini recipit seruum in Monasterium.

Imò, & excommunicantur, qui seruos suadent Dominum contemnere causa Religionis.

Et an professio serui, contradicente, vel ignorante Domino, sit nulla, & irrita, & aliqua alia circa hoc deciduntur? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 61. aliàs 56.

§. 1. **R**espondeo, quòd seruus sine licentia Domini Religionem ingressus, profiteri nequit, cap. qui verè 16. quest. 1. vbi Concilium Chalcedonense excommunicationis gladio Prælaturam vulnerat, qui sine licentia Domini recipit seruum in Monasterium: imò excommunicantur, qui seruos suadent Dominum contemnere causa Religionis, cap. si quis seruum, 1. & 2. 17. quest. 4. Generaliter, dist. 54. Nec desunt Doctores tradentes professionem serui contradicente, vel ignorante Domino; nullam, & irritam esse, ea ratione: quia per professionem Religiosus totum se Religioni tradit: sed id nequit seruus præstare, cum sit res alterius, nec Deus illam professionem quæ est contra iustitiam, acceptabit. Sic docent Paludanus in 4. dist. 38. quest. 4. D. Antoninus 2. p. tit. 11. c. 2. Azorius moral. instit. lib. 12. cap. 1. quest. 3. Vel saltem Dominus, non obstantè professione, seruum repetere sibi potest, argum. cap. Nulli dist. 54. Elapso triennio, dominus si non repetat, iuri suo renunciare præsumitur, Auth. si seruus, de Episcopo, & Clericis; cap. si seruus 2. dist. 54. Quòd si seruus longissimè à Domino distet, ita vt facile inuenire non potuerit, tunc etiam elapso triennio, ius habet illum repetendi; cap. si quis incognitus, 17. quest. 2. v. Nisi sit tam longè, vt inueniri non possit. Nec in his casibus potest dominus cogi seruum relinquere Religionis; accepto